

π h
12.10 a





II h
1210^a

DISSERTATIO HISTORICA,
DE

JUDÆO NON- MORTALI,

Quam

ADJUVANTE DEO IMMORTALI,
CONSENSU

Amplissimæ Facultatis Philosophicæ,

Certaminis publici argumentum facient
PRÆSES

M. CHRISTOPHORUS SCHULTZ,

Regiom. Pruff.

ET

RESPONDENS

MARTINUS Schmiedl

Slavia Pomer.

SS. Theol. & Philos. Stud.

IN AUDITORIO PHILOSOPHORUM,

Ad diem XXVI. Januar.

Anno M DC LXXXIX.

REGIOMONTI,

Typis FRIDERICI REUSNERI, SER. ELECT. BRAND.

ET ACADEM. TYPOGR. HÆREDUM.

Anno 1698.



Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and includes names such as "MARTINUS" and "STONORIS".



§. I.



Mnes humani casus sub incertæ sortis militant vexillo. Si nascitur infans, licet quis struat fallaces astrologorum domos, & inquirat, sitne futurus dives an pauper? Sanus an infirmus? doctus num indoctus? erunt omnia incerta, præter mortis eventum, qui certissimus. Illud est armorum mortis insigne: *Nemini parco*. Refert. Valer. Maxim. L. VII. c. II. de Anacharide, quod leges dixerit similes esse araneorum telis, in quibus infirmiora animalia hærent, valentiora perumpant. Lex illa mortis universalissima stringit debiles item ac fortes, humiles ac superbos.

*Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumq; turres.*

inquit Horat. lib. I. Carm. Od. IV. Excogitarunt humanâ industriâ medium, quo famæ suæ æternitatis umbram conciliare solent eruditi. *Studiis tuis te nunc immerge altius, & prodes memoriam aliquo scripto. Hoc enim unum est in rebus humanis opus, cui nulla tempestas noceat, quod nulla consumat vetustas*, scribit Senec. de consol. ad Polyb. c. XXXVII. Hac de re sibi gratulatur Horatius verbis ornatis pariter ac copiosis:

*Exegi monumentum ære perennius,
Regalique situ pyramidum altius:
Quod nec imber edax, aut aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, & fuga temporum.
Non omnis moriar:*

lib. III. Carm. Od. XXX. Interim & sapienti mors est: cui velit, nolite vacandum est. Ægyptii domos exiguas, sepulchra vero ædificarunt ampla. Hujus facti rationem dederunt, quod diu in sepulchris, breviter in domibus se commoraturus esse sciant, ut tradit Cic. in Tuscul. Hanc mortis legem Seneca omnibus natis datam putat. *Ex illo die, quo homo primam lucem vidit, iter mortis ingressus est, accessitque fato propior; Et illi ipsi, qui adolescentiæ adduntur anni, vite detrahuntur.* de consol. ad Marc. c. XI. Chrysostomus Tom. III. Homil. de Fid. & Sp. S. latius adhuc illam extendit: *Non solum, inquit, qui vivunt, mortis sententia feriuntur, sed & illi, qui nati non sunt.* Attamen Salvatorem nostrum
A
tempore

tempore passionis, privilegium, de non moriendo, concessisse Judæorum alicui, tradunt varii. Quid veritatis relatio ista contineat, ostendemus.

§. II.

Referunt nunnulli, fuisse tempore passionis Christi hominem natione ac genere Judæum, qui Hierosolymis fortunarum suarum habuerit sedem. Cum vero Salvator noster meritissimus ad montem Calvariae deductus, sub crucis pondere gemiscens, ad fores ejus quietis gratia subsistere voluerit, hominem illum nequissimum, bajulo huic dulcissimo affectatam denegasse quietem, quin minis ac verberibus gressum citius continuare coegisse, adeò ut Dominus noster crucifigendus iratus, huic dixerit nebulo: Erit mihi tandem quies, tu vero nequitiae gravissimas dabis poenas, qui ad extremum usque judicii diem hanc sentire non poteris. Hinc factum est, ut Judæus ille adhuc superstes, per totum terrarum orbem irrequietus oberret. Ad tres redigi possunt classes, qui hujus Judæi mentionem fecerunt. Alii enim verissimam credunt esse historiam, sic ut ne minima de hac relatione sit habenda dubitatio. Primus, qui hujus sententiae tueretur partes, est Matthæus Paris. Fuit is Monachus, scripsit Historiam Anglicanam majorem, in quâ satis proluxa de Judæo illo refert sequentibus: „Archi. Episcopus quidam Armeniæ in Angliam veniens, interrogatus de „Josepho viro illò, de quo frequens sermo habetur inter homines, qui „quando passus est Dominus (præsens fuit & locutus est cum eo, qui ad „huc vivit in argumentum fidei Christianæ.) Si illum aliquando viderit, „vel de eo quicquam audiverit. Respondit Archi Episcopus, adferens rem „gestam seriatim, & postea miles quidam Antiochenis de familia ejus, qui „interpres illius erat -- -- dixit lingua Gallica: Benè novit Dominus „meus hominem illum, & paulo ante, quam iter arriperet ad partes occi- „dentis idem Joseph in Armenia comedit ad mensam Domini mei Archi- „Episcopi, quem multoties viderat & audiverat loquentem. Et postmo- „dum interrogatus de rebus gestis inter Dominum Jesum Christum & eun- „dem Joseph, respondit: Tempore passionis Jesu Christi, cum captus à Ju- „dæis in Prætorium adductus fuisset: ante Præsidem Pilatum, ut judicaretur ab ipso, accusantibus ipsum constanter Judæis, cum Pilatus nullam causam „mortis in eò invenisset, dixit ad eos: accipite eum vos, & secundum legem „vestram judicate ipsum; Sed tandem invalescentibus clamoribus Judæo- „rum, Pilatus iis dimisit Barrabam, ad petitionem illorum, & tradidit iis Je- „sum, ut crucifigeretur. Transientibus autem Judæis extra prætorium, cum venisset

venisset ad ostium, Cartaphilus prætorii ostiarius & Pontii Pilati, cum⁶⁶
per Ostium exiret Jesus, pepulit eum pugno contemptibiliter post tergum,⁶⁶
& irridens dixit: Vade Jesus citius, vade, quid moraris? Et Jesus severo ocu-⁶⁶
lo & vultu respiciens in eum dixit; Ego vado, & expectabis, donec veniam;⁶⁶
juxta verbum Domini, expectat adhuc Cartaphilus ille . . . versatur in la-⁶⁶
chrymis & timore Domini, metuens semper, & suspectum habens adven-⁶⁶
tum Jesu Christi in igne seculum judicaturi, ne ipsum in ultimo examine⁶⁶
inveniat iratum, quem in passionem properantem irridens ad dignam pro-⁶⁶
vocavit ultionem. Veniunt ad eum multi de remotis mundi partibus,⁶⁶
delectantes in ejus visione & confabulatione, quibus, si sint viri aventici,⁶⁶
de rebus interrogatus breviter quaestiones solvit. Munera omnia re-⁶⁶
spuit sibi oblata, victu moderato & vestitu contentus. In hoc semper ponit⁶⁶
spem salutis suæ, quia ignorans deliquit, dicente Domino & orante: Pater⁶⁶
ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt. fol. 339. 340. & 827. Hunc secu-⁶⁶
tus autor Scripti anonymi, cujus titulus: *Relation oder kurzer Be-*
richt von zween Zeugen des Leidens / unsers geliebten Heylandes JE-
su Christi / derer einer ein Heide / der ander ein Jude &c. Chryso-
stomus Dudulæus in *relation. Germanic.* quam publici juris fecit Anno
MDCXLV. Joh. Georg. Hadeck. palatinus olim Pastor. A. MDCLXXXI.
aliquot pagellas typis subjici curavit hac inscriptione: *Nathanieli Chri-*
stiano relation eines Wallbruders mit Nahmen Abasverus ein Jude,
welcher bey der Creuzigung des HERRN Christi gewesen / und von de-
annoch herum wallen und leben soll. His addi posset testimonium
ex antiquis manu scriptis; quod ipse legit & refert. M. Johann. Sebastian,
Mitternacht in dissert. XIX. in locum Joh. c. XXI. v. 22. pag. 405.

§. III.

Aliis suspecta videntur omnia. Hinc suspendendum judicium, nec certi
aliquid determinare audent. Ita sensit olim Thomas Bartholinus de latere
Christi aperto c. VII. *Fidem hujus ampliozem ne quaesiveris, ne te ad*
relationes hujus Satoris Polytropi amandem, qui nuperis annis maxi-
mam Europa partem emensus incerto solo, perenni adhuc vita fertur
obernare, aut ante ostium suum Hierosolymis denegeta Christo sub
crucis onere labenti quietis, perpetuas luat pœnas inquiete. De cujus
hominis veterani fide nihil ausim determinare, quanquam etiam in
publica nonnullorum acta sit relatus, plusque fieri habeam narratio-

num veritati, quam ipse referentis. Vel enim monstrum, sit hominis, vel spectrum inferorum, vel superum apparitor, quod iudicium ad clariorum tribunal remitto, ne longius cause mea me provehat momentum. Eadem tradit Henricus Bangertus in Comment. de ortu, vita & excessu, Antonii Coleri Jcti Lubecensis cujus verba sunt sequentia: Si quid doctrina eximium, aut usu egregium se inter legendum offerret, non raro etiam si quid insolitum, aut rarum, in vita occurreret, ipse in rei memoriam in Commentarios suos studiose retulit, & quam plurimis, ut nunc unum adducam, die XIV. Januarii Anno MDCIII. adnotatum reliquit, Lubeca fuisse Judaeum illum immortalem, qui se Christi crucifixioni interfuisse affirmaverit; De quo Judaeo quid sentiendum sit, merito aliorum relinquo iudicio atque ad alia transeo. Hujus sententiae etiam est Johann. Cluverus in Epitome Historiarum totius mundi pag. 759. & 760.

§. IV.

Alii tandem, quibus prima Sapientiae lex est non temere credendum, relationem hanc apertam redolere fabulam dicunt. Hanc defendit opinionem Julius Cæsar Bulengerus in Historia sui temporis fol. 357. Fama datum id tenoris, Judaeum Christi temporibus equalem mille jam & amplius annos toto terrarum orbe vagum & errorem sine cibo & potu palari, à Deo ejus poena damnatum, quod ex fece verpenrum primus Christum cruci suffigendum, Barrabam latronem ab unca & crucis terrore vindicandum exclamaverit, mox cum Christus onere crucis anbelans ad officium ejus, qui cerdo erat, interquiesceret, cum verbi acerbitate eum amandaverit, cui Christus: quia tantillum quietis mihi invidet, quiescam, & tu irrequietus errabis, ac mox dicto ocyus recordem & vagum rota urbe errasse, inde errores suos ad hunc usque diem toto orbe continuare. Eum ipsum esse, qui visus fuerit, Amburgi Anno MDLXIV. Credat Judæus Apella; Hominem id temporis cum Parisiis agerem, non vidi, nec de eo satis certis autoribus audivi. Huic subscribunt D. Johann. Conrad. Dannhauer in Dramat. S. sive Christeide Theat. II. Phantas. I. In Christo Sophia pag. 439. Item in Last. Catech. part. V. concione LVII. pag. 1379. D. Ægidius Strauch. collegio privato Wittebergæ habito in Histor. Ecclesiast. tit. de immortalitate Judæo. Item in Concionibus habitis Gedani Evangelicis Dominica Letare fol. 442. D. Caspar Sagittarius in Harmonia Hist. pass. Jesu Christi part. II. pag. 725. Johann. Hein-

Heinricus Hottingerus in *Hist. Ecclesiast. part. III. pag. 540.* Nicolaus Heldvaderts in *Sylva Chronologica circuli Baltici part. II. pag. 271.* Johann. Hornbeck. *de convincendis Judæis prolegom. §. V.* M. Johann. Sebastian. *Mitternacht dissert. XIX.* Johann. Christophorus Rumetschius in *Schediasmate Historico-Theologico pag. 97.* M. Gottfried Thilo in *Meletemate historico de immortalitate Judæo.* His addi meretur Rudolphus Bortorius *Comment. histor. L. XI. pag. 305.* ubi mentem suam de Judæo illo his explicat verbis: *Vereor, ne quis nugarum anilium probro me afficiat, si qua tota Europa narratur de Judæo coevo Servatoris Christi fabulam, huic pagina inseram, nihil tamen vulgatius & nostratum vernacula, historia hoc profiteri non erubuit. Sic qui prius annales nostros scripserunt ad stipulatores habeo --- eum non uno seculo in Hispania, in Italia, Germania visum fuisse, atq; agnitum hoc anno eum ipsum esse, qui visus Hamburgi Anno MDLXVI. Plura de eo vulgus comminiscitur, ut audax est ad rumores quos ego, ne quid indictum sit refero.*

§. V.

Ultimæ sententiæ veritas aliquot defendi potest rationibus, quarum potissima à silentio petitur historicorum. Sane Evangelistæ fideliter notaverunt ea, quæ circa Salvatoris nostri gesta sunt passionem, nec tamen verbo hujus Judæi mentionem fecerunt. Josephus, qui propter fidele de Salvatore nostro testimonium magni faciendus, itidem nihil notavit. Eusebius Pamphilius, Episcopus Cæsariensis decem, Socrates septem, Theodoretus quinque, Sozomenus novem libris Historiam tradiderunt. Hi tanta religione, ne dicam superstitione notaverunt facta, ut etiam veris nonnunquam interposuerint falsa. Eusebii Historiam continere falsa notavit Caspar Hedio cit. Abrahamo Sculteto in *Medull. Patr. part. III. pag. 6.* Sozomeni *Historiam Sedes Apostolica recipere recusat, quoniam multa mentitur* inquit Gregor. M. L. VI. *Epist. c. CXCIV. fol. 889.* Nicephoro in delitiis fuere fabulæ, sit ut illum Isaacus Casaubonus *exercitatione I. ad apparatus annal. Baronii numero XXV. autorem sine dubio vanissimum, futilissimum, & fabulosissimum dicat Conf. Camerarius in c. XI. Job. p. 267.* D. Martin. Chemn. *Exam. Concil. Trid. f. 668. 686. 689.* D. Johann. Meisnerus *de persecut. Christ. §. XI.* D. Conrad. Hornejus *Compend. Hist. Eccl. L. I. c. I. p. 4. It. c. IX. pug. 43.* D. Pappus. in *Epit. Hist. Eccl. memb. I. dag. 51.* Nullibi tamen hujus Judæi apparent vestigia. Tota Patrum

tas (quam Keckermannus L. III. Syst. Logici c. VIII. ad tempora usque Augustini describit. Ivelus contra Hardingium, Mylius contra Austriacum quendam pontificium, ad tempora usque Gregorii durasse putant. D. Johann. Bechm. in Disput. Theolog. disp. I. numero LXXX. ad Seculum VII. post Christum natum deducit. Alii decem Secula tribuunt Patrum ætati, Gerh. Joh. Met. Theol. Stud, p. 281. ad Seculum XII. Patrum extendit senem) hunc nescivit Judæum. Cum ergo in tota antiquitate, nec vola uspiam restet, nec vestigium, temerarium est, relationem hanc omni fundamento destitutam animo concipere. Certè hi Scriptores veteris ætatis, non omisissent, si scivissent, scivissent omninò rem, si fuisset. vid. Melchior Canus. L. II. loc. commun. c. V.

§. VI.

Nec est, ut excipiant, fabulæ hujus Patroni, à silentio ad negationem vitiosè concludi: Res enim est magni momenti in toto Orbe unum oberrare hominem non mortalem. Quin ipse Matthæus Paris in Hiltor. fol. 827. illum inter mundi mirabilia refert. In hujusmodi verò reb9 silentiū, si ejus nulla subsit ratio, valet pro negatione. *Prima lex Historico data est, ne quid falsi dicere audeat, deinde ne quid non audeat, ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis.* vid. Cicero de Orat. Polydor. Vergil. L. I. de Invent. Rer. XII. pag. 41. Huc referri possunt illa Joh. Musæi de ratione argumentandi à testimonio Historicorum; *Autor probatus esse debet extra favorem & odium constitutus, & non perfunctorie nec incidenter, sed ex professo in Historiæ alicujus descriptione occupatus. Videtur insuper requiri, ut res, de cujus veritate disputatur, non sit vulgata & levis, sed magni momenti, quam nosse posteritatis multum interest, & qua illo tempore, quo gesta est cuivis, poterat innotescere.* -- Sic de donatione Constantini M. ab Historicorum Silentio commentatitiam esse infertur -- cum nulla Silentii causa appareat. Valere argumentum illud imprimis in Historicis à Silentio ad negationem, probavit Schokius in fabula Hamelensium part. III. c. I. pag. 178. Rupertus observ. in Synopsis Besoldi c. XVIII. p. 677. Famæ datum erat Seculo secundo & sequentibus post N. C. Interpretes Græcos LXXII. singulos in peculiari cellula inclusos Scripturæ reliquisse editionem Græcam. Contra hos Hieronymus calamum strinxit, inferendo à Silentio Historiæ antiquæ ad negationem: *Nescio, quis primus autor septuaginta cellulas suo mendacio extruxerit, quibus divisi eadem scriptitaverint*

cum

cum Aristaeus ejusdem Ptolomaei ὑπερασπισῆς & multa post tempora
Josephus nihil tale retulerit, sed unà Basilica congregatos contulisse
scribant. Præf. in Petatevch. Hunc secuti Masius præf. in Græcam edition.
Josue. Titelmannus prolog. apolog. pro editione vulgata. Bellarm. lib. II.
de Verbo Dei c. VI. Hottingerus qui in thesauro philog. lib. I. c. III.
quest. XIII. pag. 348. cellulas à fabulosis Thalmudistis estructas esse
scribit. Confer. Sixtinus Amama in Anti barbaro biblico lib. I. fol. 1.
Gerhard. in Exeg. Loc. Theol. §. 507. Item Confession. Cathol. lib. II. spe-
ciali part. I. art. I. c. II. pag. 128. Daniel Chamier. Panstratia Cathol.
Tom. I. fol. 462. & seqq.

§. VII.

Antiquis temporibus adeo inusitatum non erat, rebus fictis Christiana-
nam doctrinam insinuare, ac interdum confirmare. Julianus Apostata
Scholas claudi jussit, ne fortè Christianis imbuti principiis, Ethnico furori
resistere valerent, prout testatur Ruffinus L. I. H. E. c. XXXII. Socrates
lib. III. c. XIX. Sozomenus L. V. c. XVII. Apollinarii autem Pater &
filius, huic malo succurrere laborarunt, carminibus sanctam exhibendo
Scripturam. Pater enim omnem Hebræorum historiam ad Saulem usque
Heroico carmine conscripsit, & Comœdias ac tragœdias ad Poetarum,
Græcorum imitationem composuit. vid. Micræl. Synt. H. E. lib. II. Sect.
H. p. 442. Filius ex N. T. Evangelia & Scripta Apostolorum in dia-
logorum Platoniorum coegit formam, teste Socrate in H. E. Hi Poe-
tarum more veris inseruerunt ficta, adeo ut hinc etiam adscribi soleat in-
ventio de Christophoro M. cujus explicationem tradunt sequentem: Ac si
Christophorus ille denotet Ecclesiæ Præconem, qui magnus esse debet ac
grandi corpore, h. e. magnanimus, perinde ac fortis. Gestare puerum h. e.
Salvatoris nostri circumferre doctrinam. Describi ac delineari consuevit
in mediis aquis, ubi simul ingentes belluæ ipsi insidias struunt; quo pe-
ricula Sacerdotum ac Ecclesiæ hostes indicarunt; Panis, quem in pera se-
cum circumfert, specialem Dei ac certissimam erga concionatores deno-
tat providentiam. Senex, qui in littore cum lychno præcedens pingitur,
Scripturam S. adumbrare debet, quæ lumine proprio concinatoribus ju-
stam aperit viam. vid. Nicol. Selnec. part. III. exam. ordinand. de lege
moral. pag. 30. Illa tamen tempora tanta infecuta est barbaries, ut ficta
à veris non dignoscere didicerint. Verè talem existisset martyrem putat
Serarius Litan. II. pag. 84. Bouldocus L. I. de Ecclesia ante legem c. IX.
pag.

pag. 53. Christophori hujus dentem molarem, qui pugno major fuit, se vidisse testatur Ludovicus Vives ad Augustini L. XV. de Civitate Dei t. IX. Jacob. Bidermann. L. I. Epigramm. LXXXIX. sequenti huic parentat carmine:

Limina Christophorus stellata viderat aula
Grandior; ad vastam limina parva domum
(Nam brevis angustos arctabat janua postes
Nec similis Magni porta Gigantis erat)
Territus ergo, Pollicaperet me regia, dixit;
Janua mensura si foret apta mea.
Utendum ingenio est; humerotenus altior exsto,
Perq; humiles cervix, non subit alta fores,
Iste aliquis, strictoque caput divellite ferro,
Vertice transiri porta minore potest.
Protinus excelsa caput à cervicè resectum est;
Magnaq; Christophorus jam minor astra subit.
Ingenium in multo quid queris turba cerebro?
Plus sapit abjecto Christophorus cerebro.

§. VIII.

In hunc usque diem Christophorus ille martyr fuisse creditur, cujus auxili-
um Pontificii sequentibus implorare parati: O Glorioso Martyr Chri-
stophore, sis memor nostri ad Deum omni hora, & tuere sine mora,
corpus sensum & honorem conserva, qui cæli florem meruisti hic por-
tare, intra ulnas ultra mare, nos per tantam dignitatem, fac vitare
pravitatem, amare corde toto Deum vere laude, voto, præ cunctis
mundanis istis, & ut post mundi hujus cristis blandimenta, te presente
perducamur ad cæli regnum. vid. Chemnit. Exam. Concil. Trident.
de invocat. Sanct. fol. 582. Citari merentur verba Apologiae August.
Confess. ex articulo IX. de invocatione Sanctorum in lib. Symb. pag. 230.
Christophorum pinxit aliquis vir prudens, ut significaret per allega-
riam, magnum oportere robur animi esse in his, qui ferrent Christum;
hoc est, qui docerent Evangelium; aut confiterentur, quia necesse sit
subire maxima pericula. Deinde stolidi Monachi apud populum
docuerunt invocare Christophorum quasi talis polyphemus aliquando
extitisset, hinc ex Pontificiis aliqui nobiscum sentire coguntur. Vil-
la Vincentius inquit: Dubium enim est picturam hanc à S. Patribus
in

in hunc usum propriè excogitatum, ut Evangelii præconem adumbret, qui dum Christum extollit, & circumfert visendum, cognoscendumque omnibus, periclitatur in procellis & fluctibus hujus mundi, sustentatus tamen spe jucundissimorum fructuum imposteriorum, & vel post hanc vitam suscipiendorum quos baculus superne virens & florens promittit. L. III. de ratione Studii Theolog. c. VII. Confer. Baronius in Martyr. XXV. Julii. Becanus lib. de invocatione Sanctorum pag. 113. Georgius eques armatus pingi solet, quem prout pictores penicillo, ita calamo descripsit Joh. Baptista Mantuanus in Georgio. Verè sanctum fuisse hunc Georgium testatur Laurentius Surius tom. II. mense April. pag. 798. Serarius Lit. II pag. 20 Extat epigramma Verantii Fortunanti de Basilica in Anglia, in quo de ejus martyrio (cit. Baron.) sequentes legantur

Carcere, cade, siti, vinculis, fame, frigore, flammis, (versus:

Confessus Christum duxit ad astra caput.

Qui virtute potens, orientis in arce sepultus

Ecce sub occiduo e ardine præbet opem.

Idem à pontificiis his colitur verbis: *Hic nos salvet à peccatis, ut in cælo cum beatis possimus quiescere*; Hinc Petrus Paulus Vergerius in Concil. Trident. cum traditionem hanc de Georgio non per omnia approbare vellet, in discrimen dignitatis, imò vitæ ac capitis adductus fuit; teste Chemn. l. c. fol. 575. a. Conf. Joh. Sleidan. *Comment. de Stat. Relig. L. XXI. pag. 651. Micræl. H. E. L. III. Sect. II. Qu. XXIV. & XXVI. It. Qu. XLVIII. pag. 787. D. Gerh. Tom. VI. de Magist. Polit. § 209.* Attamen quascunque crepent mias, quibuscunque læviant fulminibus, sine dubio hic Georgius in rerum natura nunquam fuit, adeo ut Gelasius dist. XV. fabulam hanc hæreticis tribuat inventoribus. Vid. Melchior Canus Loc. Com. lib. II. c. VI. Baronius, qui aliis in traditionibus hujusmodi censendis adeo religiosus esse non solet, huac tamen Georgiū nunquam vixisse credit. *Pictum illa S. Georgii, qua effingitur eques armatus, qui hasta cuspide draconem interficit, juxta quem etiam virgo posita, manus supplices tendens implorat auxilium, Symboli potius, quam aliujus historie opinor esse expressam imaginem.* In nullis enim, qua recensuimus Gregorii actis antiquis, quicquam ejusmodi legitur, sed à Jacobo de Voragine absque aliqua majorum autoritate, ea ad historiam referuntur, qua potius typum exprimunt, in Martyr. Rom. April. XXIII. Cum eo sentit Alcasar ad c. VII. Apoc. pag. 444. Conf. Andreæ Riveti

B

Jesuitæ

Jesuita vapulans cap. VII. n. XX. XXI. pag. 128. Joh. Reinoldi de Ecclesia Romana Idololatria c. V. Sect. XXII. Simili ferè modo videtur Judæus ille fictus non mortalis ad Christianam religionem confirmandam, prout Christophorus & Georgius, Hac de causa D. Danhauer in *Dramat. Sacr. Theat. II.* (ubi phantasmata fictarum personarū introducit) in eadē scena sistit Christophorū M. Georgiū & Judæū immortalem.

§. IX.

Ulterius falsitatis argumentum esse solet, si autores diversi, cum eandem describunt rem, sibi non consent. Quemadmodum testimonia illa, quæ Judæi adversus Salvatorem nostrum conquiverunt, parum æstimantur inde, quod non convenerint inter se Marci XIV, v. 56. Imo pro nullo habentur testimonio Matth. XXVI. v. 59. Discordiam varietatemq; historicorum mendacii notam dicit Paulus Diaconus *lib. IV. miscel. c. II. & XIII.* Julius Capitol. in *maxim. & Balbin. c. XV.* De Judæo autem immortalis tot diversæ sententiæ, & tot contradictiones occurrunt, ut exinde optimo jure suspecta habeatur illa relatio. Matthæus Paris, cumque eo Cluverus & alii scribunt, hominem hunc, ante Baptismum Cartaphilum, postquam vero ab Anania baptisatus, Josephū appellatum fuisse. Botorius in historia nomen huic fuisse refert Gregorii. Libavius in praxi Alchimia eundem Buttadæum appellat. Chrysofostomus Dudulæus ex relatione Pauli ab Eizen Ahasverum vocat. Sutores se fuisse dixit Hamburgi ac Numburgi, adeo ut fortunarum suarum sedem non procul à porta in civitate Jerusalem habuerit, referente Paulo ab Eizen, Chrysofostomo Dudulæo, Nicolao Helvadero &c. Paris vero & Cluverus eum janitorem fuisse Pilati tradunt. Rudolphus Botorius ac Bulengerus cerdonem dicunt. Hinc ille Judæum hunc, Salvatorem nostrum abegisse de taberna sua, forma sive formula calcei, hi vero pugno scribunt. Numburgi nec stare nec sedere potuit, adeo ut durante concione in templo modo antrosum modo retrorsū iverit: Dixit ibidem, quod hæcenus nec noctu nec die quieverit, sed sine cibo ac potu, absque somno & quiete miraculosè tot secula conservatus fuerit. In Armenia autem non solum stare sed & sedere, imo aliquoties cibū capere potuit, cum Episcopo Armenia prout Paris notavit. Hamburgi & in Armenia munera sibi oblata contempfit, nec ultra duos accepit obulos, ex quibus illico eleemosynas fecit, vid. Dudulæus ac Parisius. Numburgi autē à mercatoribus amplissimis ornatus est muneribus.

§. X.

Et quis tandem crederet, Salvatorem nostrum amantiſſimum, qui ad miraculum usque patienter tulit sputum, colaphos, verba, flagella & ipsum crucis supplicium, limites hujus virtutis circa misellum hunc Judæum transgressum esse? Tanta sane ejus fuit patientia, ut latroni in cruce conversionis fuerit occasio. Hic enim citra dubium de Christi miraculis varia audiverat, quæ tamen parum curavit. In cruce videbat Dominum non miracula edentem, sed opprobria injusta patientem, tunc dixit: Nos quidem justè, hic vero quid mali fecit? Luc. XXIII, v. 41. Cum injurias & maledicta susciperet, derisus & contemptus, malignam illam, & longo usu obduratam latronis mentem immutare valuit. In crucis jam constituto doloribus Salvatori nostro Principes Sacerdotum cum Scribis & Senioribus illudentes dicebant: Si Rex Israel est, descendat hinc de cruce, & credimus illi Matth. XXVII, v. 42. Quærat aliquis, cur non descenderit? Siquidem viri Primates, huic miraculo se credituros promiserint: Respondet Augustinus tract. XXXVII, in Joh, circa finem: *Qui patientiam docebat, ideo potentiam differebat. Si enim quasi commotus ad eorum verba descendisset, victus convitiis dolore existimaretur. Nam quid magnum ei fuit de cruce descendere, qui potuit resurgere de Sepulchro?* Hinc Tertullianus jure invehitur adversus Phariseorum Principes, quod innocentiam Salvatoris Domini nostri videntes, tot opprobria, & dolores, & cruciatus tanta patientia fererent, non crediderint in Deum. lib. de Patientia c. III. Qui flagellationes, coronam spineam, quos universus Dæmonum grex excogitare valuit cruciatus, absque minis tulit, & hujus malitia Sutoris consuti, injurias præsentis animo suscipere paratus fuisset. *Is convitiis affectus non vicissim convitiabatur, cum malis afficeretur non minabatur, sed committebat causam eam ei, qui justè judicat* I. Petr. II, v. 23. Id quidem certum, ingentem fuisse ligni molè, cui vir maturæ ætatis erat affingendus; Item Salvatorem nostrum viribus fractum, lento incessisse gradu; verum Judæi & milites ad supplicii executionem constituti, minis ac verberibus bajulo afflictissimo in via molesti esse nolebant, quin potius de sublevando onere cogitaverint. Cum enim ita confectus doloribus, tum ex agonia in horto, tum ex verberibus, vexationibus, & flagris ministrorum ei illudentium tum ex continuis vigiliis, ex flagellatione, & coronæ tandem spineæ violenta impositione, adeo ut oneri crucis ferendo vix par videretur.

deretur, imposuerunt Simoni Cyrenæo Christi crucem Matth. XXVII. v. 32. Marc. XV. v. 21. Luc. XXIII. v. 26. Non ut viribus exhausto beneficerent, sed ne forte Salvator, quem severioribus suppliciis servatum volebant, sub crucis onere exspiret ac emoriatur. Hinc constat, relationis hujus autorē, sibi de simplicitate vulgi ludos facere, ac ferè jam dementatam figmentis fallere voluisse. Credimus ergo commentum hoc inane inter aniles illas fabulas, quas vetulæ, dum fufum digitis torquent, ad lucernam inter juvenculas narrare solent, esse numerandum.

§. XI.

Thesi probata ordo postulat, ut antithesin experiamur. Qui sub hujus vexillis stipendia faciunt, defendere nituntur Judæum memoratū vixisse olim, & nostris adhuc superesse temporibus. Chryſostomus Duldæus in Relation. Germ. & ex eo Joh. Georg. Hadck. sequentibus rem tradunt & probant: Es hat Paulus von Eizen der Heiligen Schrift „Doctor, wahrhafftig zu seyn für ehlichen Jahren erzehlet / als er in „seiner Jugēd zu Wittenberg studiret und im Winter an. MDLXXIV. „heim zu seinen Eltern gen Hamburg gereiset / habe er den nehesten „Sonntag in der Kirchen unter der Predigt einen langen Mann / wel- „cher eine lange Person / mit langen über die Schultern gehangenen „Haaren / gegen der Langel über Barfuß gesehen / welcher mit solcher „Andacht die Predigt angehöret / daß wenn der Nahme Jesus genen- „net würd / sich höchst und demütigst geneiget / an seine Brust inniglich „geschlagē und geseuffhet. Er aber hat keine andere Kleidung gehabt „in solchem harten und kalte Winter / als ein armer Bettler. Nun „hat gleichwol vorgemeldeter Doctor nach gehalten Predigt fleißig „nachgefraget / an welchem Ort der Mann anzutreffen sey / und nach- „dem er solches erforschet / hat er sich bey ihm gar eigendlich erkundi- „get / woher er wäre / und wie lang er sich im Winter auffgehalten / „darauß hat er nun bescheidenlich geantwortet und gesaget: Er sey „ein geborner Jude von Jerusalem gebürtig / mit Nahmen heisse er „Ahasverus, seines Handwecks ein Schumacher daselbst / auch bey „der Kreuzigung Christi / und seine Tode damahls persöhnlich gewes- „sen / und also von der Zeit hero lebendig geblieben. Was nun „Gott mit ihm vorhabe / daß er in diesem elenden Leben / so herum- „wandern / und ihn so elendiglich anschauen lasse / könnte er nichts an- „ders gedencke / Gott wolle an ihn vielleicht biß an den Jüngste Tag / wie

wider die Jüden einen lebendigen Zeugen / dadurch die Ungläubigen
und Gottlosen alle / welche sich zwar Christen nennen / des Sterbens
Christi zu erinnern und sie zur Buße möchte bekehret werde. Seines
theils möchte er wol leiden / daß ihn Gott aus diesem schänden Leben
und Jammerthal in den Himmel abfodere. His addi potest Antonius
Colerus, qui Judæum hunc immortalem Lubecæ suo tempore fuisse
testatur, prout verba Henrici Bangerti §. III. citata ostendunt.

§. XII.

Ex his, quæ vim aliquam inferendi habere videntur, sunt: (1) Quod D.
Paulus ab Eizen cum Judæo illo fuerit locutus. (2) Quod homo ille se
immortalem circumvagantem Judæum dixerit. Verum ex mente Chry-
sostomi illa valent non in statu, sed in ampliacione. Non enim Theolo-
giæ Doctor, sed juvenis, qui postea summos consecutus honores, vidit
hominem statura magnum, crinibus per humeros diffusis, discalcea-
tum; *Juvenes autem creduli sunt, quia nondum in multis decepti*, inquit
Aristot. II. Rhetor. c. XII. Nec etiam Paulus ab Eizen illa retulit Chry-
sostomo Dudulæo, qui aliquot annos post illum vixit, sed forte rumo-
ri ac famæ inconstanti fidem habuit. *Fama quodammodo videtur veri-
tatem prospicere & audire; quam ob causam sepe numero fallit, & tum ad
gratiam blanditur, tum etiam mendacia spargit*, juxta Ælium L. I.
Hinc benè Virgilius L. IV. Æneid. v. 175.

Fama malum quò non aliud velocius ullum

Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.

Parva metu primo, mox sese attollit in auras,

Ingrediturque solo, & caput inter nubila condit.

Habuit enim is disputationem inauguralem Wittenbergæ, de discrimi-
ne veræ Ecclesiæ Dei & aliorum hominum, sub præsidio Philippi Me-
Janchthonis Anno MDLVI. d. XVIII. Maji. Ergo ille Paulus ab Eizen
Anno MDLXXIV. ulterius juvenis non fuit; Anno LX. ejusdè seculi
Commentarium in Genesim ut D. Theol. & Superint. publici juris fecit.
Ad Coleri testimonium Resp. privatum aliquod esse documentum, ad
rem tanti momenti probandam plane ineptum; Imprimis cum nulla
addita sit circumstantia, quæ relationi ex parte fidem conciliare queat.
Vix credibile immortalem hunc Judæum Hamburgi ac Lubecæ fuisse,
adeo ut nemo præter Paulum ab Eizen & Antonium Colerum ejus ha-
buerit notitiam. Et licet omnia bene se haberent, vix tamen aliquis ar-
gumentum

gumenti hujus probaret consequentiam; Quia homo ille à Dudulæo
descriptus se immortalem esse dixit, ergo revera talis fuit. Si illa vale-
ret ratio, quid fiet de fallis Salvatoris testibus. Benchoabus multis arci-
bus in Juudæa occupatis per XXX annos Messiaë sibi tribuit nomen, à
suis tandè occisus, de quo conf. *Micræl. H. E. Lib. II. Sect. I. quest. XXXV.*
Origenes lib. I. contra Celsum narrat, quod Dositæus Samaritanus, post
Christum natum se Messiam esse dixerit. De Theuda refert Lucas in a-
ctis Apostolorum quod se aliquid magni esse aliis persuadere laborave-
rit, adeo ut circiter CCCC homines in suas traxerit partes, qui tandem
occisus c. V. v. 36. Præstigiatorum hunc Josephus appellat, cujus caput
abscissum Hierosolymas est portatum. *lib. XX. Antiquitatum c. II.*

§. XIII.
De Simone Mago in Actis c. VIII. v. 19. legitur, quod artibus magicis
hanc sibi conciliaverit autoritatem, ut omnes ferè homines illum tan-
quam Magnam Dei virtutem observaverint. De eo refert Tertullia-
nus *Just. Martyr, Irenæus & Eusebius*, quod illi Romæ statua fuerit po-
sita, hac inscriptione: *Simoni Deo Sancto vid. Camerarius tom. I. ope-
rum in horis succisivis pag. 327.* Putant tamen nonnulli, statuam hanc
non fuisse erectam Simoni Mago, sed Deo illi Sabinorum antiquissi-
mo, qui Semo Sancus Fidius dictus; Cum Romæ in Tyberis Insula anno
Christi M D XXIV. lapis fuerit effusus hac in scriptione: *Semoni, San-
co, Deo, Fidio, Sacrum.* Hujus Dei mentionē fecerunt *Livius Lib. VIII.*
Ovidius lib. VI. Pastor. *Dionysius Halicarnasseus Lib. IV.* *Augustinus de*
Civitate Dei, Confer. Micrælius loc. cit. p. 287. *Gregorius Turonensis lib.*
XI. Histor. c. VI. narrat de quodam Burdegalensi Desiderio, quod is ma-
gicâ arte hominibus imposuerit, seque Christum esse mira abstinentia
(quam tamen in gluvie clam abundè compensavit) confirmare volue-
rit, qui tandem dolo cognito urbe ejectus est. Huc referri potest *David*
Georgius, qui circa annum M D XXVII. se Christum esse docuit. Tra-
didit is Scripturam S. esse imperfectam, suam tamen doctrinam ad ho-
minis salutem esse sufficientem. Se mundum judicaturû, immortalem
imo, ipso Christo esse præstantiorem, cum etiam peccatû in Spiritum
S. remittere se posse gloriatur sit, *Thuan. lib. XX.* Nostro Seculo *Quake-*
rorum Princeps James Naylor Dei affectavit titulum. Is enim anno
M D C L VI. d. 24. Octobr. una cum *Timotheo Wedlock* oppidum *Bri-*
stol ingressus, cui duæ mulieres equum ducebant canentes: Sanctus,
San-

Sanctus, Sanctus est Deus Israel. Cum vero idem & septem ejus discipu-
li in carcerem ducerentur, Prophetam se à Deo missum, agnum Dei, &
unigenitum Dei filium dixit, vid. Theodor. Rhay in *confusa confessione*
Trementium seu Quakerorum c. III. pag. 23. Examē & criminalis execu-
tio reperiantur in libro cui titulus: *Quaker Jesus.* Confer, Lassenius von
Der *Quaker Sect.* Daniel Hartnaecius *continuat. Micra.* alium nomi-
nat ex Quakerorum Secta Gylpin de Kendal qui simili modo Deum se
esse mentitus est. Is enim anno MDC LIII. Mense Mayo *capto quodam*
per plateas discurrens, tandem ante fores musici cujusdam constitit, & a-
periri eas sibi petiit, eo quod Christus adesset. Intromissus autem veluti ta-
bidus & mente captus musica quadam instrumenta corripit fidibus, sed
minime ad artis præsriptum canere & tandem saltare incipit. Rogatus
causam, & quid sibi gesticulationes illa velint? respondit, se quidem musica
minime omnium delectari, sed spiritum sibi modo significasse, quod simile
gaudium sit in caelo super conversione peccatoris pag. 1058. Si vero facile
quis his confessionibus non moveretur, quomodo ergo homo ille, qui se
Judæum dixit immortalem illico fidem facere potuit.

§. XIV.

Verum sine dubio excipient, scivisse tamen hunc hominem exacte
passionis Christi circumstantias, de ejus resurrectione, & iis qui cum
Christo resurrexerunt, & Sanctorum venerunt civitatem. Ulterius nar-
ravit varia de Apostolis, ejusque discipulis, de Rerum publicarum mu-
tationibus; Variis etiam usus est linguis in Germania germanica, in Gal-
lia gallica, in Hispania hispanica est locutus lingua, adeo ut quasi his
confirmaverit illa, quæ retulit de ejus conditione. Vixit præterea pie ac
religiosè prout de illo Paris. loc. cit. refert. Sed respondens hanc obje-
ctionem petere principium. An enim unquam talis homo fuerit, qui
immortalem se dixit Judæum, omnibus illis circumstantiis, quemadmo-
dum referri solet, illud est, de quo dubitamus. Et licet concedatur, fuisse
aliquando talē, qui nonnulla de Salvatoris nostri morte recensere va-
luerit Judæum; Vel enim illa, quæ protulit, scripta sunt in verbo Dei, vel
in Historia antiqua, vel minus. Si prius, inde petere potuit, quæ recen-
sunt. Si posterio, dubium adhuc erit, num vera sint illa, quæ dixit. Fui-
sent enim illa, quæ præter Scripturam S. retulit, vel de fide, & se omni-
no falsa. Nobis enim curiositate opus non est, post Jesum Christum, nec in-
quisitione post Evangelium, cum enim credimus, nihil desideramus ulterius
etc.

credere, quia hoc primum credimus non esse quod ultra credere debeamus, sunt verba Tertulliani de præscript. adversus Hæret. c. VIII. pag. 203. edit. Commel. anno MDCVIII. Conf. Chrysoft. Homil. XLIX. operis imperfecti; *Quid si diversa à Scripturis fabulari vultis, cur nobiscum concertatis, qui neque loqui, neque audire sustinemus, quod extraneum sit ab istis*, scribit Athanasius epist. de incarnat. Christi contra Apollinari-um tom. I. fol. 484. Vel de moribus, ut quæ ad historiam spectant, tunc probandum restaret, illa non reperiri in ullo historico; & non esse fragmentum ejus qui dicit. Ad linguarum usum diversum respondetur, in omni seculo fuisse homines, qui linguarum dono fuere instructi; nemo tamen hos pro mundi miraculis habuit, multo minus pro non mortalibus. Fuit hic Regiomonti anno MCXXXVI. homo nequissimus, qui se summum Deum mentiebatur esse, hinc talem sibi composuit honoris montem: *Wir Johann Albrecht Adelgreiff / Syrdos Amada Canata, Kikis, Schmalkalladis, Elioris, Ueber, Erbt, Hoherpriester / Kaysers und des Heiligen Göttlichen Reichs König / der ganzen Welt Friede, Fürst / Richter der Lebendigen und der Todten / GOTT und der Vater in welches Herrlichkeit EHNZEUS kommen soll zum Jüngsten Gericht / HERR aller Herren und König aller Könige*. Hos titulos variis enisus confirmare miraculis, linguis variis usus, Hebraica, Græcâ, Latinâ, Polonicâ, Litvanicâ, Cæronicâ, Bohemicâ, & Germanicâ. Dignam vero impostor ille consecutus est mercedem, dum die XI. Octobr. decollatus, at ejus cadaver igne consumptum fuit. De illo legi potest Theatrum Europæum Tom. III. pag. 720. Elias Prætorius im Spiegel der Mißbräuche. M. Christoph. Hartknoch, H. E. Prussia p. 588.

S. XV.

Hæret tamen adhuc scrupulus. Objiciunt quippe vixisse hunc piè ac honestè, adeo ut judicii diè semper expectaverit, victu moderato & vestitu contento, omnes divitias & munera sibi oblata contempserit, pro-ut de illo scribit Paris loc. cit. Verum & is facili negotio eximitur. Vixerunt olim Gentiles, Judæi & alii satis honestè ac religiosè, & adhuc vivunt. Fuit superiori seculo aliquis Agyrta, qui se Johannē Evāgelistā esse mentis est. Vixit is procul dubio religiosè ac piè alias nec vulgo satis credulo fidē facere potuisset. Attamē Tolosa in Hispania est combusta, ubi quo Gisbertus Voëtius disput. Select. part. I. pag. 1446. Divitias ac opes

con-

contempserunt varii. Inter alios nominamus Joachimum Fortium Ringelbergium, cujus verba sequentia citat Melehor Adami in vitis Philosophorum pag. 48. *Eo sum ingenio, semper fui, & semper ero, ut summam inopiam quam summam opes malim, metuerem enim ne perniciosa esca mentem occuparet meam, neve tam vilis metalli cura studia dulcissima impediret. Mediocrem modum ad vitam tuendam necessarium esse non pernego, nec aurum contemso, sed magnas opes qua mentem à literis abducere queant. Ferè sit ut bona animi, corporis mala, & rursusque corporis bona, animi mala sunt. Nihil sanè rarius, nihilque magis arduum puto, quam hominem esse, & eruditum & divitem; Nihil ergo Judæus hic immortalis peculiare retinet quo relationi veritatem conciliare potuerit.*

§. XVI.

Ulterius Johann. Georg. Hadck. cum aliis sufficienter fabulam hanc defendi posse putant, exinde, quod Johannes c. XX. v. 30. dicat: *Multa etiam alia edidit signa Jesus in discipulorum suorum conspectu, quæ non sunt scripta in hoc libro.* Item c. XXI. v. 25. *Sunt autem & alia multa quæ fecit Jesus, quæ si scribantur sigillatim, ne quidem mundum ipsum opinor capturum, eos, qui scriberentur libros.* Sed quid illa ad Judæum immortalis? Hic medius terminus Syllogismum, vitiosissimum ex puris conficeret particularibus: Aliqua miracula, quæ Deus fecit, non sunt scripta. Traditio de Judæo immortalis, est aliquod miraculum, Ergò. Similis est collectio, ac si quis inferret: Aliquis homo est immortalis, nempe ex mente Parisii, Dudulæus est aliquis homo. Ergo est ille immortalis Judæus, cui tantopere patrocinatur. Hoc modo commentitiæ quælibet fabellæ pro divinis haberentur miraculis. Et sanè si Evangelistæ ex illorum sententia, & alii antiquissimi historici, de Judæo immortalis studio nihil notaverunt, quis hanc licentiam dedit Dudulæo & aliis, ut illa Scriptis traderent? *Cum Christus ipse tacuerit ea, quis nostrum dicat: illa vel illa sunt. Aut si dicere audeat, unde probabit? Quis enim est tam vanus, aut temerarius, qui cum dixerit etiam verba, quibus voluerit, & quæ voluerit, sine ullo testimonio divino affirmat ea esse, quæ tunc Dominus dicere voluit;* Scribit egregie Augustinus tractat. CXVI. in Johann. *Multa esse facta, quæ tamen non sunt scripta, certum quidem est, sed exinde colligere: Ergo hoc vel illud factum & non scri-*

scriptum, citra crimen fallaciæ consequentis non licet: A non distributo enim ad distributum, non valet consequentia.

§. XVII.

Porro objiciunt nonnulli non penitus vanam esse sententiam, quam multi populi celebrant ex Hesiod. *lib. I. operum & dierum v. 762.* & Aristotele *VII. Ethicorum c. XIII.* Famam temere nasci non solere, juxta Cic. *lib. II. ad Heren.* De Judæo immortalis plurimi, ac præclari testantur historici, antiqui pariter ac neoterici. Ex antiquis Mathæus Parisius, qui teste Antonio Possevino seculo XIV. post natum Christum, vel potius juxta Calculum Vossii tract. II. de Histor. Græc & lat. Seculo XII. anno MCCXLII vixit. Nec est quod de ejus aliquis dubitet sinceritate, cum à Flacio Illyrico, Stratemannno, & aliis inter veritatis testes sit relatus. Johannes Claverus in Academia Sorana Professor Regius, vir de Historia meritissimus, prout in aliis sic & in relatione præsentis, Parisii confirmat sententiam. His addi possunt varii in antecedentibus nominati. Verum respondetur, potentissimam quidem esse probationem, si ostendi queat omnes in quod dicimus consentire, juxta Aristotel. *lib. Eodem. c. VI.* & Senec. *epist. CXVI* Non tamen quicquid unus aut alter affirmat, instar Evangelii est recipiendum. Ad Ciceronis verba respondetur ex Cicero. *loc. cit. Non facile debere credi rumoribus.* Parisius in aliis Historicus non contemnendus, attamen interdum, bonus dormitat Homerus: *Vix ullum reperiri Historicum etiam si solum querendus tradatur, in quo non labecula aliqua deprehendi queat,* inquit Nicodem Frischlin. *Method. Hist. pag 83.* Conf. Kirchmayer in *historia Himelensium.* Quidam vero creduli, quidam negligentes, quibusdam mendacium obrepit, quibusdam placet, illi non evitant, hi appetunt, teste Senec. *lib. VII. natural. quæst. c. XVI.* Flacius ac Stratemannus, Parisium veritatis testem dicunt, non propter fabulam de Judæo immortalis, sed quia bona fide, quæ contra papatum faciunt, annotata reliquit. Verba Stratemannii sunt; *Scripsit hic testis veritatis historiam Anglicam, in qua enormia Scelera Pontificium egregiè depinxit, vocans eos Anti Christos, fures nocturnos ac latrones Exitu IX Waldens. pag. 811.* Flacius in Catalogo testium veritatis a fol. 65 ad 378. ex Parisio delicta Pontificium notavit. Inter alia vero graviora, paucissima citamus verba, quæ Parisius ad annum Domini MCCLIV. notata reliquit; *Transit hic annus Romane Ecclesie*

clesia & Papali curia, si devotionem reputes, virulentissimus. Exspicit enim que consuevit haberi devotio, habita à Pralatis & Populo, penes matrem Romanam Ecclesiam, & Patrem & Pastorem Dominum nostrum Papam; Et si illa curia fideles Christi multoties, usque ad amaritudinem Spiritus cruentaverit, nunquam tamen sicut & sequenti anno, tam lethaliter, universos Christi servos & singulos, sauciavit. Coguntur enim infantes idololatrae, & quasi apostatae veritati, que Deus est, abrenunciare; Et præter hoc, quod intolerabile est, temporalia bona violenter depraedantur. Papa operatur omnia, non in edificationem, sed in ruinam. -- Concessa fuit decima in subsidium terræ sanctæ, cogimur eam transferre in subsidium Apuiae, contra Christianos. Ex obligatione injustissima, graviora subire cogimur; Multipliciter mentiri, falso juramento præstito, quod in utroque testamento cœlitus prohibetur. Concedere cogimur terminos solutionis, quos ullo modo possumus observare, nisi incidamus in laqueos usurarios, quos socios eorum & participes novimus; Datur potestas personis prorsus indignis, super nobiles Ecclesias, venduntur Pralati ut boves & asini. &c.

S. XVIII.

Nec sine insigni vitio à particulari ad universale argumentari licet; Vara refert Paris. in uno vel in alio loco, ergò semper Bellarminum Orthodoxiæ testem esse, integro ostendit libro Doct. Joh. Gerh. Idem, conscripsit Confessionem Catholicam, ubi Pontificiorum collegit testimonia contra Pontificios. D. Joh. Georg. Dorischæus, Thomam Aquinatem, veritatis confessorem esse, prolixè probavit. Exinde tamen nec nominati Theologi celeberrimi, nec reliqui veræ Ecclesiæ Doctores, colligunt, quod vel Bellarminus, vel Thomas de Aquino, nunquam falsa scripserint. Ipse Diabolus aliquando vera loquitur, ut constat ex Marc. III. v. 11. & 2. ex Luc IV. v. 41. Quæ loca egregie explicavit (forte) D. Bebelius, in libello cui titulum fecit: *testimonium Diabolorum*; Interim verissima sunt, quæ gloriosissimus noster Salvator inquit Joh. VIII. v. 44. *Quotiescunque Diabolus loquitur mendacium, de suo loquitur, quia mendax est & pater mendacii. Concessum est Diabolo interdum vera dicere ut mendacium suum rara veritate commendet, si enim nunquam verum diceret, nec ad tentationem poterat sufficere defectio ejus, inquit Chryl. st.*

Oper. Imperf. in Matth. (vel quicumque hujus operis autor. Petrus
 Wastelius Carmelita in vindiciis suis, Joh. Hierosolymit. esse putat.
 Alii autem vel Ariani cujusdam, vel Catholici, & ab Arianis corru-
 ptum judicant, vid. D. Dorschæus *diff. abus. pag. 138.* Robertus Bel-
 larmin. *de Script. Eccles. pag. 94.*) homil. XIX. Hinc universalissima
 Apostoli & hic obtinet regula: *Omnia probate quod bonum est retinete.*
 I. Thess. V. v. 21. Ab hujus auctoris, Parisii nempe nutu, reliqui o-
 mnes toti pendunt; Hinc parum illos juvat, licet fabulam hanc or-
 nare velint societate magni viri, qui eundem ipsis erraverit errorem.
Peccantium enim multitudo non parit errori patrocinium, juxta Hie-
 ronymi epist. LXVI. ad Ruffinum. Similes hi sunt Pastori, cui per-
 suasissimum erat, nihil omnino esse falsum, quod semel typis esset
 excusum, de quo Melchior Canus lib. II. loc. Com. cap. penultimo,
 Prout nec Ecclesia, nec Papa, de non Canonico libro, possunt face-
 re Canonicum, juxta Bellarm. *Lib. I. de Verbo Dei c. X.* & Gretiche-
 rum *in defensione Bellarm.* Ita nec aliquot Historici fabulam in ve-
 ram transmutare possunt historiam. Communi laborant vitio su-
 perstitiosi rerum gestarum auctores, ut oscitante primo oscitent &
 alii. Error aliquoties repetitus in veram historiam converti non so-
 let. Putat equidem Cluverus tempore Parisii communem fuisse fa-
 bulam de Judæo immortalis, sed historiae veritas non pendet à vulgo;
 hic enim fabulis delectatur, adeo ut benè dixerit B. Lutherus in collo-
 quiis commensalibus fol. 194. *Der grosse Hauffe will einen Mos-
 sen mit Hörnern haben.* Nulla pronior ad errorem atque præcipi-
 tium via est, quam per vulgi ire vestigia. Unde Democritus: *Unus
 mihi pro populo est, populus pro uno,* vid. Senec. Epist. VII. Cluverum
 obtorto quasi collo, ac invitum, hujus figmenti patroni rapiunt. E-
 jus verba sunt sequentia: *Habebant & in sermonibus rem plerisque in-
 credibilem Saxones nostri, nimirum commode per urbes Judæum quen-
 dam immortalem. - - Visa & nobis res portentoso mendacio affinis & c.*
 Hæc verba Anonymus ut in suas partes commodius trahere posset,
 sequenti modo vertit: *Es habe uns (in diesem MDCIV. Jahr unsere
 Sachsen für gewiß berichtet) 20. En in limine dolum! Nihil enim
 de certitudine relationis in textu, quin potius plerisque incredibilem
 dixit.*

§. XIX.

Tandem nonnulli putant concedenda esse illa omnia, quæ de Ju-
 dæo

daeo circumferuntur, cum faciant ad confirmandam passionis histo-
riam, Salvatoris nostri omnipotentiam, Judaeorum item convincen-
dam pertinaciam, ac redarguendam. Illud intendere videtur Paris.
loc. cit. Cluverus & Henricus Bangertus. Is enim loco citato se-
quentia tradit: Si vera essent, quae *Matthaeus Paris* ante hosce annos qua-
dringentos, de illo, ad annum *MCCXXVIII. & MCCLVII.* post-
eritati prodidit, quaeque postea sub initium seculi nostri, eodem videlicet
tempore, quo *Colerus* hac notavit, *Chrysostomus Duduleas* peculiari
scripto vulgavit, egregium sanè Christianae fidei argumentum contra
Judeos praeberent. Sed non est, ut aliquis cum divite ex *Luc. XVI.* è
mortuis suscitatum vel immortalem desideret legis ac Evangelii in-
terpretem. Restant Evangelistarum scripta, ex quibus sufficientissima
passionis cognitio peti potest; Reliqua omnia citra fabulas expediri
possunt. *Sine mendacio confirmabitur verbum legis, & sapientia
in ore fidelis complanabitur.* *Syrach. cap. XXXIV. v. 8.* Qualis ista
probandi ratio, ex falsis velle colligere vera? In promovenda veri-
tate divina, fabulae prohibitae sunt: *Numquid enim Deus indiget vestro
mendacio, ut pro eo loquamini dolos?* *Job. XIII. v. 7.* Hoc modo quis
veritati notam inureret, ac si citra mendacii patrocinium defendi
non posset. *Nec historia debet egredi veritatem, & honestè factis veri-
tas sufficit,* inquit *Plin. lib. VII. Epist. XXXIII.* Ex hujusmodi fabellis
adversarii ansam capiunt calumniandi, quemadmodum egregiè idem
explicat *Joh. Hornbeck* de convincendis Judaeis in proleg. §. V. pag.
18. *Inter quae (figmenta) hoc loco praetercundum non videtur, quod mihi à
Judaeis quandoque exprobratum, ubi videbant, ex vano aliquo rumore,
ad sua loca constuere, immensam hominum papalium turbam visurorum
(uti falso sparsum fuerat) Judeum, qui à Christi temporibus super-
fuisset, & vagari incertis sedibus credebatur usq; ad diem adventus
Christi novissimum, querebant: an tale quid de Judaeo aliquo nostra
in lege (sic vulgo loquuntur) contineretur? & quomodo adeo creduli
essent Christiani & mendaciis addicti? Fateor haud leve scandalum
sic ipsis objici. Jam & historiis nonnullis, ceterum nota haud infirma
insertam illam vagantis Judaei legendam magis indignamur. Merè
nuga &c. Aristoteles aliquando interrogatus; quid lueri facerent
mendaces? respondit: ut quando verum dicunt iis non credatur. vid.
Diogen.*

QA
77h
1210

Diogen. Laërt. *in vit. Philosoph.* Franciscus Patricius *in discuss. Peripat. fol. 12.* Quicumq; turpi fraude semel innotuit, etiamsi verum dicit, amittit fidem, inquit Phœdrus fab. X. lib. I. Ad hæc testimonia citata non probant probandum, sub certa conditione, si vera esset nempe relatio, firmissimum inde peti posse contra Judæos argumentum, credunt citati Historici. Verum hic conditionalis nihil ponit, cum in antecedentibus evictum sit, traditionem hanc, otiosi alicujus ingenii excrementum, non veram sapere historiam. Hujusmodi nugis, piam adhibuit censuram Mantuanus, cujus verba Coronidis loco citamus:

-- -- Nullus Idoneus autor
Nec testis productus adhuc; Ideoq; relinquam
Talia, que possunt, quedam figmenta videri.
Nostra etenim nugas, deliramentaq; damnat
Religio, nec dat linguis mendacibus aures.



1077



Pe-
m-
no-
ef-
gu-
ihil
rofi
jus-
oro-

von Tl. 1270^a, Qk


ULB Halle 3
003 702 480



f







II h
1210^a

DISSERTATIO HISTORICA,
DE
**JUDÆO NON-
MORTALI,**

Quam
ADJUVANTE DEO IMMORTALI,
CONSENSU

Amplissimæ Facultatis Philosophicæ,

Certaminis publici argumentum facient
PRÆSES

**M. CHRISTOPHORUS
SCHULTZ,**

Regiom. Pruff.

ET

RESPONDENS

MARTINUS Schmied/

Slavia Pomer.

SS. Theol. & Philos. Stud.

IN AUDITORIO PHILOSOPHORUM,

Ad diem XXVI. Januar.

Anno M DC LXXXIX.

REGIOMONTI,

Typis FRIDERICI REUSNERI, SER. ELECT. BRAND.

ET ACADEM. TYPOGR. HÆREDUM.

Anno 1698.

